NONNULLA DE INFANTIS AD PARTUM REGULAREM POSITIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE VII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

ADOLPHUS LUD. GUIL. BRAUMÜLLER,
SEDINENSIS.

OPPONENTIBUS:

F. DROSS, MED. ET CHIR. DD.
A. LEINER, MED. ET CHIR. DD.
A. KRÜGER, JURIS CAND.

BEROLINI.
TYPIS FRATRUM UNGER.

VIRO

DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

FRID. GUIL. TH. ROSTKOVIO,

MEDICINAE DOCTORI, REGI A CONSILIIS MEDICIS POMERANIAE, INSTITUTI OBSTETRICII POMERANIAE PRAECEPTORI, MEDICO APUD SEDINENSES FELICISSIMO

OB EGREGIAM IN SE BENEVOLENTIAM

NEC NON

VIRO

AMPLISSIMO, ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO

CAROL. ALEX. FERD. KLUGE,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI

IN UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA PROFESSORI PUBLICO EXTRAORDIN. SEMINARII REGII MEDICO - CHIRURGICI FRIDERICO - GUILELMIANI ET ACADEMIAE REGIAE MEDICO - CHIRURGICAE MILITARIS PROFESSORI ORDINARIO, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS INTIMIS, NOSOCOMII CARITATIS BEROLINENSIS DIRECTORI,

PRAECEPTORI FAUTORIQUE BENEVOLENTISSIMO

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

L. B. S.

Scientia medica tam late patet, tam diligenter a tot et tantis viris exculta est, ut ei, qui novum quoddam, memoratu haud indignum, in ea proferre velit, vel eximiam ingenii praestantiam, vel singularis et rarissimae rei cujusdam observandae potestatem, vel uberrimam experientiam contigisse necesse sit. Quapropter equidem, cum dissertationem inauguralem conscripturus essem neque ea quasi recoquere cuperem, quae a multis jam et praeclaris viris melius et copiosus, quam equidem possem, edocebantur, in materia, de qua scriberem, eligenda haud mediocriter laborabam. Audebam vero adire praeceptorem meum maxime venerandum, Ill. Kluge, rogitans, ut in materia eligenda mihi suppetias ferret. Qui vir praeclarissimus, pro insigni sua humanitate et benevolentia, ut partuum regularium mechanismum describerem, mihi suasor erat nec non illam foetus ad partum regularem posi-

tionum enumerandarum rationem, quam ipse auditoribus suis tradere solet, publici juris facere mihi permittebat. Ut totam materiam propositam absolverem, tempus, pro dolor! me defecit, quare nonnisi foetus ad partum regularem positionum enumerandarum rationem, a praeceptore experientissimo acceptam, tradere, cum aliorum scriptorum obstetricantium enumerandi rationibus comparare illiusque praestantiam probare conabor.

Vos autem, lectores benevoli, etiam atque etiam rogo, ut hisce studiorum meorum primitiis et viribus meis, quas materiei sufficienter tractandae impares esse haud ipnoro, indulgentiam concedatis.

Regulares eos nomino partus, qui sine ullo artis adminiculo solius naturae viribus ita absolvi possunt, ut neque matris neque infantis valetudo aut vita inde capiat periculum. Quae tamen regularium partuum notio quum nimis diversas contineat foetuum exclusiones, eas scilicet, quae frequentissimae sunt et facillimae, ac quae vehementioribus tantum uteri contractionibus et parturientium contentionibus absolvuntur, distinguamus necesse est partum absolute regularem et relative regularem. Uterque ut regulari modo decurrat hasce requirit conditiones:

a) uteri contractiones justo graviditatis tempore i. e. circa quadragesimam hebdomadem intrantes tales, ut foetum expellere valeant;
b) spatium in mollioribus maternae pelvis partibus et duris tale, quod proles possit permeare;
c) positionem infantis normaliter formati talem, ut superior aut inferior longitudinalis axis extremitas sit praevia;
d) secundinarum annexum normalem.

Illos partuum sub hisce conditionibus regularium, qui ex observatione et experientia medicorum obstetricantium frequentissimi sunt, qui, ubi normalis ratio pelvim maternam inter et foetus caput viget, modicam, imo minimam virium contentionem

requirentes decurrunt, qui nullo periculo matris infantisve vitae vel valetudini imminente absolvuntur, frequentissimos igitur, facillimos et felicissimos partus, absolute regulares nomino iisque opponendos censeo partuum regularium reliquos relative regularium nomine induendos, quod, ut solis naturae viribus absolvantur, multo faustiores petunt conditiones et dynamicas et mechanicas.

Quoniam in diversis praecipue foetus ad partum positionibus et in variis, quas, dum ille per pelvim descendit, subeunt, mutationibus collocata est illa partuum divisio in absolute et relative regulares, is tantum partus absolute regularis nomine mihi videtur dignus, qui, praevia superiori axis foetus longitudinalis extremitate, caput ita collocatum exhibet, ut frons ad symphysin sacroiliacam spectet dextram aut sinistram (quas positiones postea equidem nominabo primam et secundam partus occipitalis), quod in hisce tantum positionibus ex plurium recentiorum obstetricantium observationibus partus secundum rationem ad absolute regularem modo postulatam perfici potest.

Differentiam quum perpenderimus, quam praecipue respectu decursus partuum ponit, ut in quovis partu infantis quaelibet pars praejacens, sic in regulari inferioris aut superioris axis longitudinalis extremitatis pars praevia, tum sane apparebit, cur omnes fere scriptores obstetricii, ut partuum classes, ordines et genera proponerent, maximam operam navaverint.

Maximi certe momenti est haec divisio partuum et potissimum infantis ad partum i. e. positionum

ratio, ideoque mihi liceat, novam infantis positionum rationem tradere, quam praeceptor meus maxime venerandus Illustrissimus Kkuge discipulis solet impertire, nec non de diversis nonnullorum scriptorum sententiis quaedam afferre.

Quolibet corporis situ, quamvis incommodo, foetum posse in utero gravido collocatum esse, constat, sed omnium fere obstetricantium observationibus etiam probatur, longe frequentissime infantes totam per graviditatem in utero ita esse sitos, ut, superiori longitudinalis axis extremitate orificio uteri obversa, occiput et tota posterior superficies versus anteriorem, frons tamen et tota anterior superficies ad posteriorem corporis materni partem spectet. Opinionem istam, qua capti, prioribus graviditatis mensibus foetus caput semper supremam esse partem posteaque sexto circiter aut septimo mense derepente situm ita mutari, ut infima tum pars fiat caput, Mauriceau, de la Motte, Ould, Levret, G. W. Stein et plurimi veterum auctorum putabant, cui nostro tempore repugnetur vix dignam judico.

Si quidem, ut solis naturae viribus partus peragatur, longitudinalis foetus axis uteri et pelvis axi congruat necesse est, solummodo extremitas axis longitudinalis vel superior vel inferior in partu praevia erit pars, unde prima regularium partuum oritur divisio in:

A. Partus multo frequentiores, praevia extremitate superiori axis longitudinalis foetus.

B. Partus rariores, praevia inferiori extremitate axis longitudinalis foetus.

Superior tamen axis illius extremitas est caput, quod triplici ratione situm obstetricantibus obstare potest, ideoque partus capite praevio dividitur in:

a) partus praevia regione occipitali.
b) partus praevio vertice.
c) partus praevia facie.

Inferior axis longitudinalis foetus extremitas esse possunt aut clunes, pedibus abdomini admotis, aut genua, cruribus in articulatione genu flexis, aut pedes extensi, undi distinguuntur:

a) partus clunibus ad os uteri conversis.
b) partus genubus praeviis.
c) partus pedibus praeviis.

Quorum omnium regularium partuum, praeeat sive superior sive inferior extremitas longitudinalis foetus axis, ultimam divisionem priusquam proponam, quae rationem partes praevias inter et pelvim maternam respicit, de foetus in pelvim ingressu principia quaedam afferam observationibus sancita.

1) Praeviae foetus partes in superiorem aperturam pelvis ingredientes plerumque intrant.

a) In unam diametrorum obliquarum; nam hac tantum sub conditione, sit quilibet infantis situs, neque caput neque humeri cum promontorio ossis sacri, in posteriore parte segmenti inferioris uteri prominente, et cum spina vertebrarum colliduntur. Praeterea diametrus capitis longitudinalis aut inferiorum partium diametrus maxima ad eam diametrum adaptatur, quam multi obstetricantes in superiori apertura putant relative maximam, ut Saxtorph, Joerg, Ritgen et alii.

b) In eam diametrum obliquam, quae intestini recti descensu non imminuitur i. e. in dextram sinistra paulo majorem.

c) Cum fronte plerumque etiam cum umbilico versus posteriorem materni corporis partem spectante, quod jam, antequam partus incipiat, tota anterior infantis superficies et praecipue umbilicus oppositi sunt ei loco, quo placenta affixa est, i. e. superiori, posteriori et dextrae uteri regioni. Motus enim, si infans illum tenet situm, minime impeditur, funiculus umbilicalis minime torquetur et distenditur. Quod frontis et umbilici ad idem latus attinet directionem, partus facie praevia tantum ponit exceptionem.

2) Foetus pars superiorem pelvis aperturam ingressa plerumque manet in situ occupato, a qua norma faciales tantum partus recedunt, quod mentum foetus in symphyseos sacroiliacae excavatione elevare et partum facialem potest mutare in syncipitalem; quibus positionum mutationibus respectu umbilici ad placentam directionis partus faciales in eandem, ac reliqui, perveniunt rationem.

Hisce de foetus in pelvim ingressu memoratis, restat, ut varias illius positiones ipsas numerandi rationem proponam. Longe gravissima tamen pars, sive superiores sive inferiores partes infantis praeeant, est caput, quippequod partus frequentissime non modo difficiliores, quinimo nonnisi arte absolvendos reddat, ideoque in dividendis positionibus

in ipsum caput aut saltem in ejus partem animus maxime mihi videtur attendendus esse. Equidem omnes igitur infantis ad regularem partum positiones secundum frontis directionem dividam et faciales partus considerans umbilici a fronte aversam adhibebo directionem, dum in omnibus reliquis frons et umbilicus ad idem semper spectant latus. Frontem elegi, ut omnes partus ideoque etiam faciales in una eademque numerandi ratione collocari possint, dum hucusque apud omnes scriptores aliter erant divisi partus occipitales et syncipitales, aliter faciales.

Frontem igitur si in qualicunque infantis ad partum regularem positione intuemur, ex principiis supra propositis hae positiones prodeunt, quarum quae praecedit ea, quae sequitur, frequentius occurrit:

1. Superiori infantis longitudinalis axis extremitate i. e. occipite, vertice, facie praeviis frons spectat
   a) retro et dextrorsum (positio prima)
   b) retro et sinistrorsum (positio secunda)
   c) antrorsum et sinistrorsum (positio tertia)
   d) antrorsum et dextrorsum (positio quarta).
2. Inferiori longitudinalis foetus axis extremitate i. e. clunibus, genubus, pedibus praeviis frons spectat
   a) retro et sinistrorsum (positio prima)
   b) retro et dextrorsum (positio secunda)
   c) antrorsum et dextrorsum (positio tertia)
   d) antrorsum et sinistrorsum (positio quarta).

Diversitas positionum praevio capite et illa-

rum praeviis inferioribus foetus partibus in eo est sita, quod diametri capitis maximae trunci diametris plane sunt oppositae.

Omnes igitur infantis positiones secundum frontis situm numeramus, idque a posteriori pariete pelvis incipientes ita, ut, ubi, quod multo frequentius occurrit, caput est praevium, secundum occidentalem nobis consuetam scribendi rationem numeremus i. e. a sinistra manu ad dextram ambientes pelvim, ubi vero, id quod rarius evenit, inferior axis longitudinalis extremitas obvia est, secundum orientalem scribendi rationem i. e. a dextra manu ad sinistram procedentes et pelvim sic numerando circumeuntes.

Haud perperam me frequentiores statuisse partus praevio capite, quam illos praeviis inferioribus infantis partibus, ex ipsis quidem principiis de foetus in pelvim ingressu supra propositis facile potest intelligi, sed alia argumenta etiam afferantur sat gravia:

[1]) Inter partus 15652 (1803—1811) observabantur 14749 superiori foetus axis longitudinalis extremitate praevia, quorum 72 erant faciales; inter reliquos occurrebat

positio prima . . .	11634
positio secunda . .	2853
positio tertia . . .	112
positio quarta . . .	78.

---

[1]) Pratique des accouchemens ou mémoires et observations choisies sur les points les plus importans de l'art par Mme Lachapelle; — publ. par A. Dugés. Par. 1821. Vol. I. pag. 107.

[1]) Inter partus 21960 (1812—1820) absolvebantur capite praevio 20698 iique

in positione prima	15809
in positione secunda . .	4659
in positione tertia	164
in positione quarta . . .	66.

Ex observationibus NAEGELII [2]) quidem ratio longe alia deducitur, quippe qui dicit: „Ex his quae „hucusque observabam, prima et tertia verticis po„sitio sic dicta, pro solita capitis positione habenda „est; reliquae minus sunt solitae, ex quibus posi„tio facie praevia raro, positio generis quarti, ver„tice praevio, rarius, positio vero capitis in diame„tro conjugata dicta et positio secunda capite vel „vertice praevio rarissime occurrunt." Sed dicit etiam [3]), positionem tertiam in ipso partus decursu frequentissime converti in secundam. Quominus omnium scriptorum obstetricantium dissidentes de positionibus infantis ad partum regularem dividendis sententias afferam, comparem et recenseam, arcti opusculi limites me impediunt.

Id tantummodo tradere licet, nobis positionum divisiones in variis scriptis editas contemplantibus, maximam scriptorum dissensionem apparere, cum alius minorem positionum statuendum putet numerum, alius majorem, cum alii alias singulas foetus partes, quibus divisio nitatur, idoneas judicent, aliis

---

[1]) l. c. Paris 1825. Vol. II.

[2]) Ueber den Mechanismus der Geburt. Meckel's deutsches Archiv f. d. Physiologie. Bd. 5. Hft. 4. S. 498.

[3]) l. c. pag. 500.

etiam positiones secundum singularum fere omnium foetus partium ad matris pelvim relationem describentibus.

Baudelocque [1]), ut nonnullos illorum scriptorum allegem, sex numerat modos, quibus caput offeratur.

a) fontanella postica acetabulo lateris sinistri, antica vero symphysi sacroiliacae lateris dextri obversa;
b) fontanella postica acetabulo lateris sinistri, antica symphysi sacroiliacae sinistrae obversa;
c) fontanella postica symphysi ossium pubis, antica promontorio obversa;
d) fontanella postica ad symphysin sacroiliacam dextram, antica ad acetabulum sinistrum
e) fontanella postica ad symphysin sacroiliacam sinistram, antica ad acetabulum dextrum
f) fontanella postica ad promontorium, antica ad symphysin ossium pubis spectante.

Interpres hujus auctoris Meckel [2]) his positionibus septimam et octavam censet adnumerandas, nimirum occipite vel sinistrorsum vel dextrorsum in diametro transversa jacente.

Quatuor facie praevia positiones Baudelocque statuendas contendit:

a) facies in conjugata, frons ad symphysin ossium pubis, mentum ad promontorium

---

[1]) Anleitung zur Entbindungskunst. Uebersetzt und mit Anmerkungen versehen von Ph. Fr. Meckel. Leipz. 1791. Bd. 1. pag. 216. sqq.

[2]) l. modo c. Bd. 1. pag. 369. sq. nota.

b) facies in conjugata, frons ad promontorium, mentum ad symphysin ossium pubis

c) facies in diamutro transversa, frons in latere sinistro, mentum in dextro

d) facies in diametro transversa, frons in latere dextro, mentum in sinistro jacet.

Praevia inferiore axis longitudinalis extremitate haecce quatuor exponit genera:

a) clunes in diametro obliqua sinistra versantur, dorsum antrorsum et sinistrorsum, abdomen retro et dextrorsum spectat;

b) clunes in diametro obliqua dextra versantur, dorsum antrorsum et dextrorsum, abdomen retro et sinistrorsum spectat.

c) nates congruunt diametro transversae ita, ut dorsum antrorsum, abdomen retro

d) nates congruunt diametro transversae ita, ut dorsum retro, abdomen antrorsum spectet.

Meckel his addit:

e) nates in conjugata jacent, dorsum in dextra, abdomen in sinistra parte.

f) nates in conjugata, dorsum in sinistra, abdomen in dextra parte haerent.

Quam Baudelocquii infantis positionum divisionem et descriptionem cum ea, quam nosmet supra tradidimus, collatam ambagibus et difficultatibus scatere, facillime intelliges.

Carus [1]) easdem, quas nos, numerat positiones, tertiam tamen nostram nominat quartam quartamque

---

[1]) Lehrbuch der Gynaekologie etc. Leipz. 1828. Vol. II. pag 110. sqq.

nostram tertiam, omnesque describit secundum singularum foetus partium ad pelvim maternam relationem. Huic consentit JOERG.

EL. DE SIEBOLD [1]), DE FRORIEP [2]), ED. DE SIEBOLD [3]), MAYGRIER [4]), BUSCH [5]) plurimique recentiorum scriptorum easdem fere foetus positiones, quas supra memoravi, agnoscunt, sed aliam infantis partem eligunt divisionis principium. Sequantur ea tamen, de quibus a nobis dissident.

EL. DE SIEBOLD [6]), cui ED. DE SIEBOLD [7]) consentire videtur, hosce partuum facialium modos proponit:

a) fronte ad symphysin sacroiliacam dextram
b) fronte ad symphysin sacroiliacam sinistram spectante.

EL. DE SIEBOLD [8]) et MAYGRIER [9]) praevia inferiore axis longitudinalis extremitate has distinguunt positiones:

a) nates congruunt diametro obliquae sinistrae ita, ut dorsum versus acetabulum sinistrum spectet.

---

1) Lehrbuch der theoret. Entbindungskunde. Nürnb. 1824.

2) Theoretisch-praktisches Handbuch d. Geburtshülfe. Weimar 1827. pag. 215. sqq.

3) Anleitung zum geburtshülflichen technischen Verfahren am Phantome als Vorbereitung etc. Berlin 1828.

4) Abbildungen aus dem Gesammtgebiete der theoretisch-practischen Geburtshülfe. Nach dem Französischen des Maygrier bearbeitet von Ed. v. Siebold. Berl. 1829. pg. 99.

5) Lehrbuch der Geburtskunde. Marburg 1829. pag. 110. sqq. 130. sqq.

6) l. c. Vol. I. pag. 437.

7) l. c. pag. 40.

8) l. c. pag. 452.

9) l. c. pag. 103.

b) nates congruunt diametro obliquae dextrae ita, ut dorsum versus acetabulum dextrum spectet.
c) nates versantur in diametro obliqua sinistra, dorso symphysi sacroiliacae dextrae obverso.
d) nates in diametro obliqua dextra versantur, dorso versus symphysin sacroiliacam sinistram spectante.

Partuum pedibus praeviis non eadem ac clunalium genera distinguit Ed. de Siebold [1]), sed patri de iis penitus assentitur.

Ritgen [2]) nostro tempore vere propriam de partus mechanismo proponens sententiam, octo capitis positiones statuendas contendit secundum occipitis ad pelvim relationem.

1) Occiput spectat retro et sinistrorsum.
2) sinistrorsum
3) antrorsum et sinistrorsum
4) antrorsum
5) antrorsum et dextrorsum
6) dextrorsum
7) retro et dextrorsum
8) retro.

Aliorum de classificatione foetus ad partum positiouum sententias omittere coactus, duas quaestiones hoc loco breviter attingere debere mihi videor. Tam prioris enim temporis quam novissimi scriptores obstetricii maxime dissentiunt, quaenam capitis pars prima se ad partum sistat, quae igitur

[1]) l. c. pag. 44.

[2]) Ueber den gewöhnlichsten Hergang der Geburt. In der gemeinsamen deutschen Zeitschrift für Geburtskunde. Bd. I. Hft. 1. pag. 37. sq.

plerumque praeeat in partus negotio; nec minus in eo dissentiunt, utrum obliquam diametrum aperturae pelvis superioris an transversam capitis foetalis diametrus maxima ingrediatur.

Quod quaestionem attinet, ex quanam capitis parte, cum prima ad partum se sisteret posteaque directionis pelvis lineam sequeretur, frequentissimum et facillimum partus decursum praesagire liceat, plurimi veteres scriptores, ex quo partus mechanismum accuratius observare inceperant, verticem foetus praeviam esse partem contenderunt. OULD [1]), SAXTORPH [2]) et SOLEYRÉS DE RENHAC [3]) primi hancce statuerunt sententiam iisque consentiens BAUDELOCQUE [4]) imo irregularibus adnumerandum censet partum occipitalem. SMELLIE [5]) etiam, PLENK [6]) et SCHMITT [7]) verticem directionis lineam in partus negotio sequi contendunt.

EL. DE SIEBOLD [8]), CARUS [9]) et G. W. STEIN jun. [10]) oriente partu quidem verticem uteri orificio

---

[1]) A treatise of midwifery. In three parts. Lond. 1767.

[2]) Dissertatio de diverso partu ob diversam capitis ad pelvim relationem mutuam. Havn. et Lips. 1772. pag. 17 38.

[3]) Dissertatio de partu viribus maternis absoluto. Paris 1771. pag. 21.

[4]) l. c. pag. 215.

[5]) A treatise on the theory and practice of midwifery. London 1779. Vol. I. pag. 67.

[6]) Anfangsgründe der Geburtshülfe. Wien 1786. pag. 58.

[7]) Geburtshülfliche Fragmente. Wien 1804. pag. 59.

[8]) l. c. pag. 333.

[9]) Zur Lehre von Schwangerschaft und Geburt. Leipz. 1822. pag. 188. 195.

[10]) Die Lehre der Geburtshülfe. Vol. I. Elberf. 1825. pag 328. 419.

sese offerre putant, nihilominus tamen occipitalem nominandum censent illum partum, quod proximis jam uteri contractionibus caput ita in pelvim ipsam intrudatur, ut per totum partus decursum praeeat occiput.

Prorsus hisce adstipulatur Busch [1]), partum tamen illum sicuti alios praevio occipite generatim nominat capitales iisque adjungit partus, quibus vertex est praevius.

Wigand [2]), Naegele [3]) et Mampe [4]) partus, qui praevio syncipite eduntur, maxime naturae leges sequi ideoque frequentissimos esse putant.

Contra vero Boer [5]), Osiander [6]), Solingen [7]), Joerg [8]), Nolde [9]), Ritgen [10]) et Mende [11]) foe-

---

1) l. c. pag. 111.

2) Die Geburt des Menschen etc. Herausgegeben v. Naegele. Berlin 1820. Vol. II. pag. 361.

3) l. c. pag. 488.

4) Bemerkungen über den Hergang der menschlichen Geburt. Meckel's deutsches Archiv für die Physiologie. Bd. 5. Hft. 4. pag. 532.

5) Abhandlungen und Versuche geburtshülflichen Inhalts. Wien 1804. Bd. 2. Thl. 2. pag. 147. sq.

6) Handbuch der Entbindungskunst. Tübing. 1820. Bd. 2 Thl. 1. pag. 6.

7) Das Mechanische der Geburt erklärt, bewiesen und zurückgeführt auf einen allgemeinen Grundsatz. Uebers. von Salomon. Hannov. 1801. §. 65. sq.

8) Systematisches Handbuch der Geburtshülfe. Leipz. 1807. pag. 81.

9) Beiträge zur Geburtshülfe. Erfurt 1811. Stück 3.

10) l. c. pag. 50.

11) Ueber die Stellung der Leibesfrucht zur Geburt. In der gemeinsamen deutschen Zeitschrift für Geburtskunde. Bd. 1. Hft. 1. pag. 68. 76.

tuum edondorum praeviam partem plerumque esse occiput, censent.

Sic inter occiput et bregma medicorum obstetriciorum opiniones fluctuant et quod aliis legis instar sancitum est, id alii pro abnormitate habent.

Nihilomus paucos tantum vere sibi oppositos videmus, ut Baudelocque et Wigand, major scriptorum pars non animadvertisse tantum videtur, aliam partem capitis primam sese ad partum sistere, aliam contra in partus negotio, postquam introitum seu superiorem aperturam pelvis superaverit caput, vere esse praeviam.

Initio partus neque vertex pelvis lineae centrali incumbit, neque occiput, sed bregmatis et occipitis ossis pars simul ita, ut locus occiput inter et verticem lineae centrali pelvis objiciatur et uterque fonticulus, et minor et major, in aequali fere altitudine inveniatur. Quae tamen fonticulorum inter se ratio mox mutatur, cum caput in pelvim ipsam immittitur; mentum pectori admovetur, posterior fonticulus magis quam anterior depellitur et occiput, quod nunc praeit, per totum partus decursum, praevia est pars. Conditiones et causae hujus mutationis, ut plurium aliarum, in rationibus mechanicis capitis foetalis et pelvis maternae sunt quaerendae. Quod vertex igitur nonnunquam praeire potest, non obstat, quo minus partum frequentissimum, facillimum et felicissimum i. e. absolute regularem nominem occipitalem, solus enim vertex illius partus initio pelvis lineae centrali non incumbit, neque verticis ulla pars praevia est, cum partus jam est progressus.

Eodem modo, quo de praevia in linea centrali pelvis parte, dissentiunt etiam medici obstetricii in eo, utrum longa capitis diametrus aperturae pelvis superioris transversam occupet diametrum an obliquam. Vix commemoranda esset sententia, ex qua capitis diametrum maximam pelvis diametrum parvam ingredi constat, id quod VAN DEVENTER [1]), MESNARD [2]), LEVRET [3]), PUZOS [4]), SOLEYRÉS DE RENHAC [5]), ROEDERER [6]), PLENK [7]), G. W. STEIN sen. [8]) (in priori libri sui editione) et omnes medici obstetricii saeculi superioris docuerunt, nisi RITGEN [9]) nostro tempore istam opinionem denuo concepisset, qua caput oriente partu in parva aperturae superioris pelvis diametro collocari sibi persuadet, sed occipite versus promontorium, fronte ad symphysin ossium pubis spectantibus.

Ex SMELLIE [10]) sententia, qui primus intellexit, positionem capitis in apertura pelvis superiore om-

---

1) Operationum chirurgicarum novum lumen etc. Lugd. Bat. 1733. P. I. Cap. XXIII.

2) Le guide des accoucheurs, ou le maitre dans l'art d'accoucher etc. Paris 1743. pag. 178.

3) Observations sur les causes et les accidens de plusieurs accouchemens laborieux. Paris 1747. pag. 132.

4) Traité des accouchemens. Paris 1759. pag. 127.

5) l. c. pag. 22.

6) Elementa artis obstetriciae. Goetting. 1766. pag. 98.

7) l. c. pag. 58. 353.

8) Theoretische und practische Anleitung zur Geburtshülfe. Editio prior anni 1793. §. 417. editio recentior anni 1800. pag. 161.

9) l. c. pag. 13. 14.

10) l. c. Vol. I. pag. 69.

nino differre ab illa in apertura inferiori, caput sic progreditur, ut alteri ossi ileo occiput, alteri facies obvertatur.

Idem aut integrum aut exceptis quibusdam docent FRIED [1]), DELEURYE [2]), G. W. STEIN sen. [3]) in recentiori libri sui editione. NAEGELE [4]) dicit, caput magnam diametrum transversae diametro pelvis eo magis appropinquare, quo altius sit collocatum. SCHMITT [5]), MAMPE [6]) et MENDE [7]) contendunt, in superiori pelvis apertura caput plane transversum esse positum.

Capitis superiorem pelvis aperturam oblique invadentis positionem primi descripserunt FIELDING OULD [8]) et MATHIAS SAXTORPH [9]), quibus plane assentiebantur, transversam capitis in pelvis introitu positionem multo rarius occurrere commemorantes, BANG [10]), OSBORN [11]), MOHRENHEIM [12]), BAUDELOC-

---

Anfangsgründe der Geburtshülfe. Strasb. 1769. §. 188.

[2]) Abhandlung über die Geburten, nebst Behandlung der Krankheiten etc. Uebersetzt von Flemming. Breslau 1778. pag. 33.

[3]) l. c. edit. recent. 1800. pag. 161.

[4]) l. c. pag. 489.

[5]) l. c. pag. 82.

[6]) l. c. pag. 532.

[7]) l. c. pag. 73.

[8]) l. c. pag. 28. sqq.

[9]) l. c. pag. 17. 56.

[10]) Tentamen medicum de mechanismo partus perfecti. Hafn. 1774. pag. 32.

[11]) Versuche über die Geburtshülfe in natürlichen u. schweren Geburten. Aus dem Engl. v. Michaelis. Liegnitz 1794. pag. 21.

[12]) Abhandlung über die Entbindungskunst etc. Bd. I. Petersb. 1791. pag. 68.

QUE [1]), OSIANDER [2]), D'OUTREPONT [3]), JOERG [4]), WARNEKROS [5]), SCHWEIGHAEUSER [6]), CARUS [7]) et alii.

Permulti alii, caput mox in transversa mox in una alterave obliquarum diametrorum aperturae pelvis superioris se collocare, opinantur, ut JOHNSON [8]), BOËR [9]), MARTENS [10]), NOLDE [11]), EL. DE SIEBOLD [12]), DE FRORIEP [13]), WIGAND [14]), G. W. STEIN jun. [15]) et BUSCH [16]).

Quas varias, neque raro plane contrarias sententias virorum, quorum verba bona certe, assidua accurataque exploratione firmantur, conferentibus nobis in mentem statim venit inquirendi cupiditas, quaenam causa fuerit, qua tot praeclari auctores,

---

1) l. c. pag. 218. sqq.

2) l. c. Bd. 2. Abthl. 1. pag. 6. sqq.

3) Programm von der Selbstwendung und der Wendung auf den Kopf. Würzb. 1817.

4) Versuche und Beiträge geburtshülflichen Inhalts. Leipz. 1806. pag. 108.

5) Geburtshülfliche Abhandlungen. Rostock 1808. Hft. 2. pag. 37.

6) Das Gebären nach der beobachteten Natur. Strasb. und Leipz. 1825. pag. 117.

7) l. c. pag. 107.

8) A new system of midwifery. Lond. 1769. P. I. pag. 14.

9) l. c. Bd. 1. Thl. 3. pag. 22.

10) Versuch eines vollständigen Systems der theoret. u. pract. Geburtshülfe. Leipz. 1802. pag. 81.

11) l. c. pag. 108.

12) l. c. pag. 333.

13) l. c. pag. 214.

14) l. c. Bd. 2. pag. 362. 364.

15) l. c. pag. 417. 418.

16) l. c. 111.

in explorandis et observandis partubus valde plerumque expediti, assidue semper accuratissimeque se observasse contendere, nihilo secius tamen adeo sibi invicem non congruentia nobis tradere potuerint. Equidem puto, non solum hasce varias de capitis in superiorem pelvis aperturam intrantis positione sententias, sed in universum plurimas dissensiones medicorum obstetriciorum inde esse ortas, quod nec quo explorationis tempore nec qua observationum instituendarum ratione usi fuerint, se invicem satis certiores fecerint. Quod si factum fuerit, persuasum habeo, observationum omnium mox fore consensum, quamquam adhuc sententiae maximae variant. Quis dubitet, quin ex illa exploratione, quae partus initio instituitur, quo caput adhuc super apertura pelvis superiori collatum est, sententia emanet valde discrepans ab illa, quae eo tempore concipitur, quo capitis circuitus major illam aperturam jam permeaverit? Dissensionem igitur cum perpenderimus auctorum de tempore, quo explorationem putant instituendam, causa, imo necessitudo illorum obstetricantium errorum nobis apparebit. Aliis enim ante partus initium instituenda videtur exploratio, aliis in alia partus periodo.

Quamvis partus initio omnem infantis situs et positionis cognitionem superfluam aut exploratione plane non definiendam esse minime contendam, tamen non solum incerta mihi videtur exploratio, sed etiam utilitate carens, quam auctores nonnulli ei interdum tribuendam esse putaverunt. In primo enim partus stadio et ante finem secundi os uteri, plerumque clausum adhud et constrictum praeci-

pue in primiparis, altius versatur, foetus situs ideoque etiam positio valde variabilis est pro ipsius foetus in amnii liquore motibus, pro uteri contractionum accessione et remissione, imo pro materni corporis motu atque agitatione, quibus omnibns inchoante partu infantis situm varie adhuc mutari posse constat. Fac igitur, ut medico cuidam obstetricio interna et externa exploratione partus initio accurate instituta, certa de infantis in hoc stadio situ cognitio contingat, num tandem, quoniam ante foetus in pelvim ingressum situs ejus plerumque mutatur, compertum habere potest, qualem situm foetus per totum partus decursum teneat?

Eo potius tempore, quo doloribus, quos dicunt praesagientes et praeparantes, uteri cervix adeo dilatata atque orificium detersum est, ut apertura ejus sit ampla et rotundata, quo velamenta vesicae tumidae instar protruduntur et valida uteri contractione e bulla rupta liquor amnii profunditur, quo pars foetus ad uteri orificium conversa diametrum quandam aperturae pelvis superioris ingreditur et sic in situ suo figitur, sub finem nimirum stadii secundi vel inchoante stadio tertio in partu regulari, omni quanta potest cum certitudine situs partis, ad partum se offerentis, seu infantis positio mihi videtur dipnoscenda.

Qui hoc tempore explorationem instituit, eum invenire persuasissimum habeo, in partu absolute regulari capitis diametrum maximam pelvis aperturae superioris diametrum obliquam semper occupare eamque dextram, intestini recti desensu non imminutam, sinistra paulo majorem. Causa hujus

directionis capitis potissimum haeret in situ infantis ante partus initium, in pelvis figura et in uteri contractionibus foetum in pelvim depellentibus. Nam agente utero partus initio in foetum, in axi pelvis ita locatum, ut, capite orificio uteri obverso, frons et tota anterior superficies ad posteriorem materni corporis spectet partem, capiti ejus in humore amnii adhuc fluctuanti promontorium ossis sacri obstat. Frons glabra, rotunda et satis mobilis, prominentiam illam posteriori parti segmenti inferioris uteri impressam tangens, ad latus dirigitur in spatium ei maxime sespondens inter promontorium ipsum et posteriorem ossis ilei marginem, quam ob rem sutura sagittalis in superioris pelvis aperturae diametrum obliquam incidat necesse est.

VITAE CURRICULUM.

Natus sum ego, Adolphus Ludovicus Guilelmus Braumüller, evangelicae addictus confessioni, Sedini anno MDCCCVI, patre optimo Philippo Braumüller, quem praematura morte mihi ereptum lugeo semperque lugebo, atque matre Guilelma e gente Paulson, qua superstite adhuc gaudeo. Tres fere annos natum parentes Francofurthum ad Viadrum missum me amitae tradiderunt educandum, cui pro maximo in me amore et favore palam hoc loco summas, quas in aeternum habebo, gratias intimo ago ex animo. Primis literarum rudimentis instructus gymnasium Fridericianum, Francofurthi florens, usque ad decimum quintum circiter aetatis annum frequentavi. Post haec a parentibus Sedinum revocatus in gymnasio Sedinensi, directore Fr. Koch florente, in literis humanioribus institutus sum.

Autumno anni MDCCCXXVI, quinque per annos in illo gymnasio moratus, universitatem hancce Fridericam Guilelmam petii, qua in laeta musarum sede ab Ill. Boeckh, t. t. universitatis fasces habente, in academicam civitatem, et ab Ill. Link t. t. decano maxime spectabili, in medicinae studiosorum numerum adscitus, hosce per quadriennium audivi viros disserentes:

Ill. H. Ritter de logice, Ill. Hegel de psychologia, Ill. Casper de medicinae methodologia et encyclopaedia, Ill. Link de historia naturali, de botanice, de cryptophytis, de toxicologia et de pharmacologia, Ill. de Schlechtendal de cryptogamia, Ill. Lichtenstein de zoologia, Ill

Mitscherlich de chemia experimentali, Ill. Hermbstaedt de physice experimentali, nec non de pharmacia theoretica et practica, Ill. Rudolphi de anatomia corporis humani, de anatomia organorum sensuum et foetus humani, de entozois, de anatomia comparativa, nec non de physiologia. Ill. Knape de osteologia, splanchnologia et syndesmologia, Ill. Schlemm de anatomia. Artem cadavera rite dissecandi Ill. Rudolphi et Ill. Knape me docuerunt. Ill. Fr. Hufeland pathologiam generalem et semioticen, Ill. Horn pathologiam et therapiam specialem nec non animi morbos, Ill. Wagner h. t. decanus spectatissimus pathologiam et therapiam specialem et medicinam forensem, Ill. Osann materiam medicam fontesque salutares Germaniae, Ill. Casper infantum morbos et formulas concinnandi artem mihi exposuerunt. Ill. Kluge fasciarum artem, chirurgiam, ossium fracturas et luxationes, artem obstetriciam tam theoreticam quam practicam nec non akiurgiam, Ill. Jüngken ophthalmiatricen mecum communicaverunt. Ill. Bartels Hippocratis aphorismos mihi exposuit.

Praeterea Ill. de Graefe et Ill. Rust institutionibus clinicis chirurgicis, Ill. C. W. Hufeland cum Ill. Osann et Ill. Busse, Ill. Bartels et Ill. Wolff exercitationibus clinicis medicis, et ophthalmiatricis Ill. Jüngken benigni mihi ad aegrotorum lectulos exstiterunt duces; nec defui praelectionibus clinicis, quae Ill. Kluge auspiciis de morbis habentur syphiliticis.

Quos omnes praeceptores clarissimos et doctissimos pio gratoque animo semper venerabor.

Iam tentaminibus, tam philosophico quam medico et examine rigoroso coram gratioso Medicorum Ordine sustentatis, spero fore, ut, dissertatione et thesibus rite defensis, summi in Medicina et Chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Morborum mentis plurimi ex morbo corporis quodam oriuntur.

II.

Morbi evolutionis non exstant.

III.

Mania occulta in levanda vel remittenda quorundam delictorum poena a judice nimis negligitur.

IV.

Partus omnes etsi ipsius organismi viribus possint absolvi, minime semper a medico naturae sunt relinquendi.

V.

Nulla vis absque materia.

VI.

Botanices studium secundum familias naturales studio secundum systema sexuale majorem profert utilitatem.